



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. vnica. Vtrum Redemptio nostra fuerit Finis vnicus & adæquatus
Incarnationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CONTROVERSIA I.

Vtrum Redemptio nostra fuerit Finis Vnicus & Adequatus Incarnationis.

188. **Q**uestio hæc alijs terminis proponitur, Vtrum Christus venisset in carne, etiam si Adam non peccasset. Et quidem de possibili non est difficultas, sed quid defacto dicendum sit.

Est autem hujus questionis duplex sensus omnino distinguendus, in quo potest disputari. Primus sensus, & communiter à Theologis intentus est, An defacto extiterit in Deo Decretum practicum & executivum, quo decreverit Incarnationem etiam ad alium finem quam Redemptionis, ita ut dixerit: *Incarnationem volo propter gloriam quam inde habeo, sive peccet, sive non peccet Adam, & sive redimatur, sive non redimatur genus humanum.*

189. Alter sensus esse potest: An, esto non existerit tale Decretum, talisque tendendi modus in alium finem, detur tamen defacto verificativum hujus propositionis: Si Adam non peccasset, adhuc Verbum Incarnatum esset: vel, an potius contraria propositio verificetur. Examinando nunc priorem sensum:

Prima Sententia affirmat, Christum vi præsentis Decreti, formaliter, & tanquam objectum directè volitum, adhuc venturum fuisse, si Adam non peccasset. Ita sentiunt Scotus, Alexander, Albertus, Catherinus, Suarez, Petrus Hurt. Alphonsus Salmeron t. 15. d. 3. in c. 1. 1. ad Timoth. assert. 5.

Secunda Sententia negat. Ita S. Thomas, qui cum in 3. dist. & q. 1. ad 3. vtramque opinionem problematicè defendisset, postmodum in sua Summa p. 3. q. 1. ad 3. ait, negativæ magis assentiendum videri. S. Thomam sequuntur omnes Thomistæ, teste Alvarez. Eandem tenet S. Bonnav. asserens, esse magis consonam pietati Fidei, magis quoque devotionem accendere, & Deum plus honorare. Ex nostris tenent Valent. Vasq. Lessius, Granadus, Toletus in MS. Gaspar Hurtadus, Tanner, Amicus, Lugo, VVadingus, Ragusa, Becanus, Prapossius, Pefantius, Maldonatus, Arriaga, Petavius, Pallav. Reynaudus, Compronius. cum quibus

190. **DICO** 1. Defacto non existit Decretum, decernens Incarnationem ex alio fine quam Redemptionis, seu Remedij peccati. Probatur Conclusio argumento S. Thomæ. De ijs quæ pendent vnicè ex libero Dei arbitrio, nihil est asserendum, nisi quod Deus revelavit: sed Deus nullum aliud motivum seu rationem finalem revelavit, quam Redemptionis; & vnicè pendebar ex libero Dei arbitrio, hunc vel alium finem Incarnationis constituere. Ergo &c.

Scio, ad hoc respondere adversarios, Deum saltem implicite & arguitivè aliud motivum revelasse, quatenus de Christi dilectione, & excel-

lencia quædam revelavit, ex quibus adversarii putant colligi posse aliud Motivum. Contra hoc effugium

Confirmatur argumentum D. Thomæ. Si alius finis principalior fuisset à Deo intentus, quam redemptio, non debuisset sancti Scriptura de fine Incarnationis ita loqui, ut toti fieri hominum carui ansam præberet, non agnoscenti non aestimandi illum finem, qui vel maxime commendaret excellentiam Christi: atqui hoc fecit. Tum quia longè major Theologorum pars redemptionem intelligit; Tum quia SS. PP. viderimus, planè respuant alium quemcunque finem Incarnationis.

191. Confirmatur 2. Scriptura loquens de motivo Incarnationis, intelligenda est, prout eam Concilia & Patres intellexerunt, & in illius sensu, quem sponte & per se, sine violentia nostro intellectui insinuant: atqui insinuant Conclusionem nostram, & Patres intellexerunt secundum Conclusionem nostram: ergo &c. Muræ probatur. Præcipuus Scripturæ locus est ubi relatus Jo. 3. ubi Christus Nicodemo vult expone- re vim divini amoris erga hominem lapsum, quæ tanta fuit, ut ex illa Filium suum videretur daret, hoc est, mitteret ad hominis incertum, & vertendum. Quod si Deus Filium principaliter ob suam gloriam mittere decrevisset, independentè ab hominis ruina reparanda, & deinde occasionaliter, occasione scilicet peccati & tunc, constituisset Redemptorem, non apparet, quomodo ex ipsa missione Filij secundum se considerata commendari posuisset & extolli vehementia amoris erga hominem lapsum. Quemadmodum si Rex aliquis ad ostendam suam modestiam, cum ingenti pompa aliquot centurionum aulicorum veniret ad aliquam civitatem, vix potest intentionem oriretur rebellio vel incendium, quod Rex per suos aulicos reprimere, non posset. Rex ille gloriari, se ex vehementi amore præcedi civitatem advenisse cum tot aulicis. Quod autem Christus per rō daret intellexit suum Adventum & Missionem à Patre, sequentibus verbis expressit. Non enim, inquit, misit Deus Filium suum, ut judicet Mundum, sed ut salvem Mundum per ipsum. & c. 10. Ego veni in mundum, ut vitam habeant, & abundantius habeant.

192. Quod autem hæc Scripturæ Testimonia PP. intellexerint in sensu nostræ Conclusionis, nemo dubitaverit, qui eorum verba syncretice ponderaverit, ita ut perquam violenta sit interpretatio Scoti, dum ait, omnes auctoritates potest intelligi, quod Christus non venisset ut Redemptor, nisi homo cecidisset. Sed, quæso, quid erat opus, ut hoc nos Scriptura doceret, quod se tam clarum est, quam est impossibile, esse Redemptorem, ubi nemo est redimendus: quod parum ponderis habet quod addit Scotus, quod foris non venisset ut passibilis. Sed Scriptura nullibi habet illud foris: neque SS. Patres. Vltimè Patres dicunt simpliciter & nude, quod Christus

Christus non venisset, & nullibi dicunt, quod Christus venisset in carne impassibili: debuissent autem hoc addere, ne nos deciperent: sicut deciperet, & simul ridiculus esset, qui diceret: *Princeps non venit, nisi sit pugnandi occasio*: hoc autem vellet ita accipis, quod etiam non sit pugnandi occasio, adhuc veniet, sed sine militibus & armis. Audiamus Patres ipsos.

193. S. Irenaeus adversus haeres. c. 14. [Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset, & si non haberet sanguis iustorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.]

S. Augustinus super verba Apost. serm. 8. [Si homo non perisset, Filius hominis non venisset] & seq. [Nulla causa veniendi fuit, nisi peccatores salvos faceret: tolle morbos tolle vulnera, & nulla causa est]

Cyrillus dial. 7. de Trinit. ante medium [Si non peccassemus, neque factus esset nobis similis, neque sustinisset Crucem.] Ecce! vtrumque negat futurum fuisse, & substantiam Incarnationis & Passionem.

S. Athanasius serm. 3. contra Arrianos. [Necessitas indigentiae hominum anterior est, quam sublatam carnem non induisset.] Eod. serm. [Non igitur propter seipsum, sed propter nostram salutem, & demolitionem mortis advenit.]

Origenes Hom. 24. in Numer. [Si non fuisset peccatum, mansisset hoc quod in principio erat Dei Verbum.] Eadem formalia habet in Epist. ad Rom.

S. Chrysostomus hom. 67. in Marth. [Hae curationis sola causa est, propter quam in hunc mundum descendit.]

S. Ambrosius lib. de Incarn. Dom. Sacram. c. 6. [Quae erat causa Incarnationis, nisi, ut caro quae peccaverat, per se redimeretur.]

S. Basiliius homil. de humana Christi genere. [Carnem suscepit Deus, quoniam execrabilem contaminatamque hanc purgatam sanctamque reddi oportuit, infirmam ac debilem corroborari, à Deo ob peccatum alienatam conciliari, è paradiso exidentem in Caelum referri.]

S. Leo Serm. 3. de Pent. c. 2. elegantissimè simul & apertissimè sic loquitur. [Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suae honore naturae mansisset, nec Diaboli fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deviasset, creator mundi creatura non fieret.]

Gregorius Nazianzenus orat. 36. [Quae humanitatis à Deo propter nos susceptae causa existit? profecto ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud causae afferri possit?

194. Haec est ergo vnanimis Patrum doctrina (vnum Rupertum si excipias, qui cum sit junior omnium, & in hoc ipso puncto inconstans, ut notat Reynaudus, non est curandus) & quidem est illis indubitata; quam non potuerunt in alio fundare, quam in textibus allegatis S.

Script. ergo PP. acceperunt Scripturam in eo sensu, quo nos eam accipimus.

Respondent aliqui ex adversariis, Scripturam & PP. illum solum finem exprimere voluisse, & debuisse, qui sine revelatione speciali non poterat nobis innotescere: at verò finis Excellentiae huius Mysterij, qui fuisset intentus etiam deficiente peccato, potest per se sine speciali revelatione innotescere: ergo non erat opus illum exprimere. Sed haec responsio est frivola. Nam, ut taceam PP. non solum exprimere finem Redemptionis, sed insuper negare omnem alium finem, certè excellentia huius mysterij utique non necessitabat Deum ad Incarnationem, cum nihil creatum necessitet Deum: ergo cum liberè Deus potuerit omittere, debet esse revelatum specialiter, quod defacto voluerit ex tali fine ponere, aliter enim non potest nobis innotescere.

195. DICES: Sapè Theologi investigant finem alicujus rei productae, qui tamen revelatus non est: ergo falsum est quod in probatione assumpsimus, quod circa opera Dei nihil sit asserendum, quod non est revelatum. R. Quando nullus finis est expressus, rectè investigatur finis, cum omnia sint facta propter aliquem finem. Quando autem Scriptura exprimit aliquem finem, & alium omnem tacet, non rectè comminiscimur alium finem, praesertim qui asseratur fuisse finis principalis, ut bene notavit Reynaudus. Et haec de primo sensu Quaestionis.

196. Quoad secundum sensum Quaestionis, duos invenio Recentiores, Card. Pallavicinum & P. Esparza, qui inclinant in affirmativam partem. Pallavicinus quidem existimat, Deum per Scientiam mediam vidisse, quod si Adam non peccasset, Deus adhuc Incarnationem decrevisset, & ideo defacto existisse in Deo actum quandam Voluntatis speculativum Complacentiae circa illam futuritionem conditionatam. Verùm haec doctrina nititur principio quod mihi non probatur, nempe Deum per Scientiam mediam videre sua decreta sub conditione futura: sed etsi hoc concederetur, adhuc potius dicendum esset, quod Deus oppositum vidisset, ut mox constabit.

P. Martinus Esparza verò putat, ex intrinseco modo tendendi praesentis decreti, non quidem formaliter, sed tamen arguivè & indicativè venturum fuisse Christum, si Adam non peccasset, adeoque futuritionem conditionatam decreti formalis circa Incarnationem pro illo casu videri à Deo in praesenti Decreto, utpote habente intrinsecam connexionem cum illa conditionata futuritione, cujus est verificativum.

197. DICO tamen 2. Neque hoc sensu Christum venturum fuisse, si Adam non peccasset. Ratio est, quia verba SS. PP. hunc sensum non minùs quam priorem excludunt, ut cuiusvis consideranti manifestum erit. absolute enim pronuntiant, Christum non venturum fuisse, si Adam non peccasset: haec autem assertio simpliciter esset falsa, si per aliud decretum tunc ventu-

rus fuisset, sed non ut Redemptor. quasi verò hæc duæ propositiones possint esse æquivalentes. *Christus Adamo non peccante non est venturus.* (quæ est propositio PP.) & hæc: *Christus Adamo non peccante non est venturus Redemptor.* (quæ non est Patrû, sed horum Recentiorum) alioquin & hæc erunt æqui pollentes: *Vbi nihil dicitur de cathedra, eo studiosi non veniunt*, & hæc: *Vbi nihil dicitur de cathedra, eo studiosi non veniunt cum charta & atramentario.* Posterior est vera, prior est falsa, nam in hospitij nihil dicitur de cathedra, & tamen eo veniunt.

198. Objicit Card. Pallavicinus 1. In nostra Sententia non potest defendi, quòd Christus videat in Deo summam dilectionem erga se ipsum, per quam in nullo casu possibili fuerit reprobata ipsius existentia. Loco Responsionis quæro ex hoc Auctore, an putet absurdum esse, Christum non fuisse ita dilectum, ut in nullo casu possibili fuerit reprobata ipsius existentia? si affirmat? sequitur, Incarnationem quoad substantiam non fuisse Deo liberam, quia Deus non potest committere aliquod absurdum. Sequela autem est absurda. Si negat id fore absurdum, evanescit tota objectio: quid enim cogit nos ad tantum amorem defendendum, si non est absurdum eum non dari? Respondetur ergo, concedendo nos non posse illum amorem defendere: Sed si hoc vitium est, etiam adversarius reus erit. Falsum enim est, Christi existentiam pro nullo casu possibili fuisse reprobendam: Si enim Deus nullum mundum creare voluisset, an etiam tunc Christus exstitisset?

199. Replicant aliqui. Si Deus condidisset homines & Angelos non peccantes sine Christo, prætulisset homines & Angelos Christo: hoc autem concedere, videtur absurdum. Ad hanc replicam respondet Recentior Hispanus non minus cordatè quàm verè: *hæc esse mera verba personata, quibus post larvam nihil est.* Quid enim est, vnum alteri præferre? an vnum velle, & alterum nolle? hoc sensu non magis absurdum est, homines & Angelos præferri Christo, quàm eidem & toti mundo præferri nihilum, quòd Deus facere potuisset. Quodsi per *id præferre* intelligas, quòd Deus judicaret, Angelos esse excellentiores Christo, negatur, quòd sic præferret, si Angelos & non Christum produceret.

200. Objicit Pallavicinus 2. Ex nostra sententia sequitur, Christum debere gaudere gaudio speculativo de peccato Adam, & de nostris malis, quia sine his ipse non fuisset futurus. R. 1. Gaudeat Christus gaudio speculativo quantum voluerit, tam parum hoc erit absurdi, quàm quòd Martyres multi gavisi sunt de persecutione tyrannorum, ut haberent occasionem Martyrij. Et mirum sanè est, quòd non adverterit adversarius, reipsa se hoc prius concessisse. nam n. 149. disertis verbis docuerat, opus Dei perfectissimum non esse Incarnationem quomodocunque, sed incarnationem ad finem redimendi per mortem suos inimicos: nam *Misericordia ejus super omnia opera*

ejus. Ulterius ibidem docet (& est per se evidens) hoc opus perfectissimum esse tale, ut specialiter sit occasionatum, & indecensibile independentè à peccato. Hinc autem inclinatio consequentia deducitur, Christum debere participare gaudio speculativo de peccato Adam, quod absque hoc non fuisset futurus in ratione operis perfectissimi.

201. Respondetur tamen 2. Negando quelam. Tamen enim peccatum fuerit conditio requisita, ut Christus Redemptor posset dari, non tamen fuit causa movens ad decretandum, sed potius fuit motivum absterrens de retardans Bonitatem Dei, & inclinans ad justitiam vindicativam, adeoque ad Negationem Incarnationis. Non ergo est peccatum materia gaudio speculativo, nisi ut conjunctum cum misericordia Dei. Hæc specialiter ad argumenta duo, quæ Card. Pallavicinus à Catharino indicat, paulo speciosius proposuit.

202. Objiciunt alij 3. Varia Sciptura loca ex quibus colligitur, totum mundum prope Christum esse creatum. Ad Coloss. 1. *Præcipuus omnis creatura, quoniam in ipso condita sunt omnia, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso consistunt.* ad Hebr. 3. *Propter quem omnia, & per quem omnia.* sed hæc non essent vera, si Christus non venisset Adamo non peccante: nam tunc mundus sine conditus fuisset, & non propter Christum. Multos interpretes omnes hos textus intelligi de Divinitate Verbi, ut videre est apud Rev. dum. R. 2. Christi Gloriam & nominis exaltationem, quam defacto consecutus est ex Redemptione generis humani, fuisse rerum omnium causam, ad quem omnia vel electivè vel permissivè fuerunt ordinata, etiam ipsum peccatum Adam, quod omnia faciliè intelliguntur ex dictis lib. 2. de simplicitate Decretorum. Quodsi per Scrituram mediam fuisset Adam visus non peccaturus, Deus totum univèrsum aliter, & ad alium finem ordinasset.

203. Objiciunt 4. Ex nostra doctrina sequitur, Adamo & Angelis non fuisse penam gratiam collatam ex meritis Christi. Fuit enim illius collatio facta independentè à peccato futuro: ergo independentè ab omnibus illis, quæ præsupponunt ipsum peccatum: atqui merita Christi præsupponunt peccatum in nostra Sententia. R. Argumentum etiam adversarij solvendum esse, nam merita Christi præsupponunt possibilitatem carnis: & hæc præsupponit peccatum. Responderi potest. 2. Transeat totum, loquendo de merito strictè sumpto, habente scilicet penam naturæ. Quodsi aliqui PP. etiam illam gratiam tribuunt meritis Christi, intelligendi sunt de meritis Christi, ut sunt compensativa penæ anticipati, ad eum modum, quo infra dicam, Christum fuisse promeritum Gratiæ antiquorum PP.

204. Objiciunt 5. Trident. sess. 6. c. 7. vbi dicit, Gloriam Christi esse causam finem nostræ Justificationis: atqui nostra Conclusio dicit

reverso, nostram Justificationem esse causam finalem Christi. 2. Aliud est, Existentia Christi, & aliud, ejus gloria, & exultatio, proveniens ex nostra Justificatione. Possit autem duo sibi mutuo esse fines diverso respectu, res est indubitable. Dicimus ergo, hominem & ejus justificationem fuisse finem existentiae Christi; hominem quidem finem *CVI*, Justificationem vero finem *Qui*: non tamen contra existentiam Christi fuisse finem Justificationis: non enim ideo justificati sumus, ut existeret Christus. Vt utrumque Christus gloriosus est finis nostrae Justificationis, & etiam ipsius existentiae Christi: Christus quidem finis *CVI*, Gloria autem finis *Qui*: sed non contra Justificationem nostra est finis Gloriam Christi: non enim Christus assecutus est gloriam & exultationem nominis, ut nos justificemur. Exemplum cape simillimum. Aegrotat aliquis Princeps, accurrit peregrinus Medicus: non venturus nisi Princeps aegrotaret: adhibet Medicinam. ecce! Princeps est finis *CVI*, hujus adventus, & sanitas finis *Qui*. Sed hic non sinit Medicus, nam curationem Principis ordinat ad suam utilitatem, & suarum facultatum augmentum: & sic ipse Medicus est finis *CVI* ultimus tam sui adventus, quam curationis, & finis *Qui* est Honorarium seu merces danda à Principe.

Hinc apparet nihili faciendam esse censuram Catharini; dicentis, esse indignitatem abominandam dicere, quod Christus propter nos homines & propter nostram salutem sit productus. ita enim est productus propter nos, ut ultimus sit productus propter suam gloriam, quam ex nostra salute consecutus est, dicente Apostolo, quod: proposito sibi gaudio sustinuit Crucem.

205. Obijciunt 6. Absurdum, & Christo indecorum est dicere, quod Christus tantummodo sit opus occasionatum: atqui secundum nostram sententiam esset opus occasionatum, nempe existeret occasione peccati. 2. Si vox occasionatum aliud dicere non vult, quam quod Christus venerit in tempore opportuno, adeoque occasio aliud non sit, quam opportunitas, negamus hoc Christo esse indecorum. Si verò per id occasionatum significetur casus fortuitus, eventus non praevisus, nec praedeterminatus, negamus minorem, & dicimus, quod Deus peccatum ipsum antecedenter ad illius existentiam ordinaverit permittitve ad existentiam Christi.

206. Obijciunt 7. Incarnatio futura fuit revelata Angelis, & Adamo ante lapsum: atqui revelatio praesupponit objectum: ergo pro priori naturae ad peccatum Angelorum & Adami, jam praesupponebatur futura Incarnatio. Quod si neges, prout recte negant RR. ipsum objectum futurum praesupponi pro priori naturae ad revelationem, adhuc urget argumentum, nempe quia revelatio saltem praesupponit decretum de mittendo Christo: ergo sicut revelatio fuit prior naturae peccato Angelorum & Adami, ita à fortiori prius fuit decretum de mittendo Christo, & quidem ita fuit prius naturae, ut non haberet necessariam connexionem cum peccato Angelorum, quia fuit conjungibile cum negatione peccati: ergo etiam si Angeli & Adam non peccassent, adhuc exstisset decretum Incarnationis. Hoc argumentum dissolutum est in Tractatu de Angelis, ad quem

locum spectat, ibique solutio videri potest.

CAPUT III.

DE SUBSTANTIA INCARNATIONIS SECUNDUM SE, EIVSQUE EXTREMIS.

CONTROVERSIA I.

In quo consistat Assumptio Humanitatis facta à Verbo divino.

§. PRIMVS.

Error Nestorij & Eutychetis.

207. Circa Mysterium Incarnationis duo praecipue errores in Ecclesia nati, & ab eadem damnati sunt: qui etsi inter se à diametro oppositi sint, ita quidem ut secundus ex odio prioris obortus

sit, ex eodem tamen erroneo fundamento ambo originem traxerunt, nullam scilicet admissam distinctionem inter Naturam, & Personam.

Nestorius, ex hypocrita praesbytero Patriarcha Constantinopolitanus (cujus historiam scribit